DE CORDIS PALPITATIONES ANIMADVERSIONES DISSERTATIO INAUGURALIS…

Luigi Biego Mantovani



DE

CORDIS PALPITATIONES

ANIMADVERSIONES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R PATAVINO ARCHIGYMNASIO

PROPONIT

BIEGO MANTOVANI ALOYSIUS

VICETINUS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846



PATRI MEO AMANTISSIMO

LECTORI BENEVOLO

Medicinae candidatus, qui scilicet ad lauream accedit, clinicumque exercitium supra modum diligit, praxeos propria argumenta publicare nequit. Praxi enim penitus penitusque caret. Hac veritate praemissa, non mea, sed quae biennio clinico perdurante vidi, meditatus sum. Plura enim in aegrotantibus clinicis observavi quae ad argumentum meae disceptatiunculae propius accedebant. Sed necesse erat ut aliquis medicinae scriptor viam mihi sternere potuisset; inter quos primissimus Italiae nostrae eligendus erat eumque selegi. Additamentis nonnullis conscripta mea ditavi, non sine facilitate eo quod sub clinica instructione observationes recentiorum praesto omnibus sunt. Vale

Auctor

DE CORDIS PALPITATIONIBUS

ANIMADVERSIONES

Quam ingens sit numerus aegrotorum, quos cordis diuturna exagitat palpitatio, naturae atque conamini bus resistens nostro praeprimis aevo, et in juniori aetate ob educationis mollitiem, morum pravitatem, animi passiones systema nerveum aggredientes, hocce enervantes, irritabilitatem peccantem hujus systematis, functiones animales et vegetativas regentis procurantes, neminem latebit; aberrans enim tali modo a naturae legibus functio tam sublimis, absque noxa in systema vasorum praeprimis organi centralis irritabilitatem exaltando influere nequit. Immo in simplici actione vitali perturbata atque longius protracta, mutationes organicas insanabiles induci, proxime vitae individuorum minitantes, nemo negabit. Cum igitur de hac forma morbosa sat frequenter in praxi obveniente sermonem facere cupiam, ejus nexum, mox cum simplici irritabilitatis cordis vasorumque sanguiferorum laesa conditione, mox cum aberrante sanguinis quantitate atque

740

qualitate, mox cum organica cardiopathia, quantum fieri potest, sub tanto hujus argumenti discrimine, elucubrare tentabo

Definitio

Ictus cordis validi, frequentes, tumultuosi, plerumque extemplo evoluti, mox ab aegro, mox a medico percipiendi, sub nomine cordis palpitationum (apud graecos παλμος) usurpantur. Earum causa proxima nil aliud sistitur, nisi irritabilitas fibrarum muscularium cor ipsum componentium ad altiorem gradum evecta, per quam cordis motus, qui in statu physiologico vix ae ne vix quidem a medico per manum aut aurem pectori admotam percipitur, aegrotanti ingentium molestiarum causa fieri solet. Hujusmodi excessus in cordis irritabilitate modo de repente supervenit breviterque perdurat, modo autem longius protrahitur juxta varia pro parte aegrotantis et causae occasionalis momenta; quapropter cordis palpitationes in temporarias et permanentes dividuntur; quae autem divisio plane erronea haberi meretur

Revera sub aliquo animi motu, sub corporis defatigatione cor ipsum validius micat; quod autem stricto sensu conditionem morbosam nequaquam constituit; etenim, sublata causa, motus quoque cordis excedens breviter intra limites salutis restituitur.

Ideirco patet, quod sub nomine cordis palpitationum

hic excedens breviterque duraturus cordis tumultus haud intelligatur, sed potius tale meretur nomen, dum cor vehementiori et valde duratoro, aut saepe saepius redeunte motu comitatur, pectus praeter morem percutit, ut admota etiam manus saepe repellatur. Interdum sonitus ipsi cordis quoad vim extolluntur, quo in casu a medico e longinquo, atque aegris dum in latere sinistro decumbunt, percipiuntur.

Attamen cordis palpitationes diversam intensionis gradum referunt, ita ut quandoque a medico tantummodo, non vero ab aegrotante animadvertantur, praeserlim in subjectis vulgaribus, quorum thorax a parietibus crassis circumdator, aut quae parum attentionis in sensationes proprias dirigunt. In istis subjectis reapse vitium detegitur, plerumque manus aut stetoscopiae ope Fit vero tum et quando, ut aliquis de molesta cordis palpitatione conqueratur, immo hac ex causa medici consilium petat, qui regionem praecordialem sedulo examinans nil in ipsa morbosi invenire valet. Ex quibus patet cardiopalmon modo esse subjectivum, modo objectivum symptoma.

Methodus, qua haec conditio cordis exploratur, inspectionem pectoris, manus et stetoscopiae auxilium respicit. Sub praecordiorum inspectione, mox aliquis motus undulatorius, mox apex cordis inter sextam atque septimam costam extrorsum fere patet: immo vitio longius perdurante costae ita repelluntur, ut praecordia magis elevata animadvertantur, unde deformitatis

species insurgit Sub manus adplicatione praeter majorem cordis impulsum plus minusve circumscriptum variae habentur sensationes, modo fremitus, modo oxillationis, modo mallei contra parietes thoracis percutientis Per tubi Laennechiani adplicationem modo simplex impulsus excedens habetur, modo autem varii concitantur strepitus juxta pathologicae conditionis varietatem, uti aerius loquar. Nunc illud tantummodo exponam, nimirum cardiopalmum modo simplicem esse, modo autem aliis rumoribus adsociatum. Caveat autem medicus, ne hujusmodi aegrotantes post longam corporis quietem, aut viceversa post motum diutius protractum examinet; etenim facillime in errorem diagnosticon incidere potest

Quaeritur nunc an cardiopalmus per statum phlogisticum cordis vasorumque sanguiferorum; an potius per anaemiam et diatesim serosam sanguinis concitetur; an denique per organicam cardiopathiam? En quaestiones magni momenti, quae a neotericis proponuntur, de quibus ingentia adsunt inter eos sententiarum discrimina. Immo sub tanta doctrinarum pathologicarum varietate, quae apud medicos viget, vix judicium proferre audorem Etenim ad mentem illorum, qui undique nonnisi phlogoses inveniunt, cardiopalmus etiamsi simplex, et in subjectis chloroticis a carditide subacuta vel chronica dependet. Ab aliis e contra palpitationes inter morbos cordis dynamicos sensibilitatis atque irritabilitatis laesioni referuntur, quin etiam turgorem phlogisticum

omnino denegant, conditionem persaepe oppositam admittendo, scilicet et statum anaemicum (Andral, Laennech). Non desunt porro aliqui, quibus aliquam cardiopathiam organicam sub vehementiori cordis impulsu sive primariam sive secundariam admittere placuit. Qualis igitur sub tanta rerum difficultate, sub tam discriminantibus opinionibus veritati magis accedit? Nulla plane singillatim respecta. Namque quis audet simplicem cardiopalmum absque febri, absque laesa sanguinis conditione, absque phlogoseos posthumis, utcumque diutius perdurantem pro vera inflammatione declarare? An ex uno symptomate judicium diagnosticum depromitur? Quot sub illa hypothesi carditides haberentur, dum scimus carditidem morbum esse rarum, gravissimum et plerumque laethalem? Ex quo sequitur cardiopalmum separatim consideratum non esse carditidi sive lentae, sive acutae referendum. Nec minus errones illorum opinio evadit, qui ex anaemia simul cum exaltata subjecti sensibilitate cardiopalmum procedere autumant; etenim ab illo vexantur subjecta juvenilia, temperamenti sanguinei, cum pulsu valido, pleno et duro, uno verbo omnia praeseferunt congestionis activae phaenomena.

Tandem quoad cardiopathiam organicam, puta hypertrophiam, aut cordis dilatationem, unde palpitationes substineri nonnulli credunt; haec quoque opinio fundamentis destituta videtur. Quot enim aegrotorum cadavera aperiuntur per plures annos cardiopalmo laborantium, ubi nec ullam cor morbosam retulit condi-

tionem? Nonne in chloroticis post congruam medelam cordis impulsus antea excedens intra limites salutis redit? Sub tanta igitur opinionum varietate, si quid observare mihi liceat, id referam, nimirum perturbationem irritabilitatis cordis mox esse simpliciter dynamicam, scilicet ab exaltata actione vitali illius organi dependere, ex pluribus causis promanante; mox autem ex laesa ejusdem visceris nutritione; denique ex majori sanguinis quantitate per cavitates organi circulantis (cardioplethora). Sequitur exinde unum idemque phaenomenon ad varias atque inter se opposítas visceris conditiones referri posse; quapropter judicium diagnosticum ex plurium phaenomenorum syndrome, quam ex simplici cardiopalmo eruendum esse puto

Divisiones

Palpitatio cordis, uti supra diximus, ratione gradus, durationis ac originis differt Hinc alia levis est, alia magna, alia aequalis, inaequalis alia, continua, vel intermittens et certis intervallis aut horis recurrens, vel accidentalis, vel sympathica, vel idiopathica, vel tandem convulsiva

Distinguunt nonnulli cardiopalmum a tremore; etenim in priori impulsus cordis adauctus congruit cum pulsu vibranti et frequenti; dum e contra *tremor* manifestatur per pulsum deficientem inaequalem, virium prostrationem, animi deliquia sudoresque frigidos, uno

verbo per omnia symptomata, quae agoni pertinent Haec autem distinctio, praeeunte clarissimo Burserio, parvi momenti est Aliae divisiones a causis moventibus eruuntur, unde palpitatio a plethora, a cachexia, puta chlorosi, scorbuto, lue venerea, a vermibus, ab hysterica aut hypochondriaca adfectione, a flatibus ventriculum distendentibus, a cerebri aut medullae spinalis laesionibus, ab hydrope et sic porro

Postquam vero signa physica in auxilium diagnoseos venerunt, istae evanuere differentiae; etenim ex percussione atque stetoscopia vel simplex cordis impulsus adauctus habetur, quin limites suos naturales cor excedat; quo pacto palpitatio cordis *simplex* vel aliis verbis dynamica eruitur: modo autem strepitus morbosi cum diastole aut systole percipiuntur, quo in casu praeter vitium dynamicum, aliquid organici plus minusve permanentis adsociari consuescit: unde judicium diagnosticum longe diversum proferre licet Tali itaque ratione tot differentiae sponte sua evanescunt, et sub cordis palpitatione mox vitium dynamicum, mox organicum latet

Quum vero de utraque hac conditione morbosa sermonem habendo, limites praesentis dissertatiunculae praetermitterem, ita solummodo de palpitationibus cordis ex perturbata ejus vitali conditione prodeuntibus sermonem faciam, quo in casu palpitationes mere nervosae cum clarissimo Bouillaud et Laennech nuncupari merentur

Et in primis observare mihi licet hoc vitium modo adsuctae sanguinis copiae per cavitates cordis circulanti, nimirum cardioplethorae esse tribuendum; modo laesae functioni nervorum, qui motui cordis praesident, sive ex subjecti habitu gracili et nervoso, sive ex imminuta sanguinis copia (cardio-anaemia), sive denique ex perturbata istius fluidi nobilissimi qualitate, sicut et in subjectis chloroticis, scorbuticis, venereis experientia docet.

Attamen ut palpitationis diagnosis facilior reddetur, utinam sufficienti perspicuitate causarum, a quibus sustinetur, varietas distingui posset! Sola anamnesis interdum et signa physica, nec non alia negativa ad earum differentias assequendas plurimum conferre valent. Qualis autem sit nervorum perturbatio, quo modo definiatur, hoc extra limites scientiae nostrae reponitur; etenim quomodo nervi ad sustinendas organorum functiones suam symbolam conferant, nondum detegere potuimus, utcumque plures et laudabiles de hoc argumenta opiniones prolatae fuerint.

Nosographia

Signa propria palpitationis fere communia viderentur, si de hoc taotommodo symptomate quaestio foret. Attamen quum pluribus atque inter se discriminantibus cordis perturbationibus organicis atque dynamicis hoc symptoma attineat, quamque proposuerim tantum-

modo de cardiopalmo ex causa dynamica producto, nec non absque febrili reactione decurrente verba facere: ita generalem divisionem superius relatam sequutus, phaenomena palpitationis ex *plethora* prodeuntis; porro illa simplici cordis nervorum laesioni sive primariae sive secundariae tribuenda exponere in animo mihi est

Palpitatio cordis ex plethora

Symptoma eminens est cordis impulsus adauctus, fortis, frequens, extensus fere mallei ad instar, ita ut externe quandoque pateat Sub manus adplicatione sensatio quaedam molesta alicujus resistentiae in regione praecordiali animadvertitur: sub tali rerum statu percussio cordis voluminis augmentum docet, sed evacuatione sanguinis peracta, statui morbi conveniente, mox voluminis decrementum percussione eruendum reperitur. Immo tanti momenti percussio repetita haberi debet, ut ex ipsa tantummodo judicium diagnosticum differentiale eruatur

Sub stetoscopii adplicatione cordis impulsus pariter ingens atque ad majorem provinciam diffusus percipitur; sed sonitus illius plane normaliter sese habent Alia symptomata habentur sub magna cordis distensione, uti respiratio frequens, anhelosa, cum metu ipsius suffocationis, anxietas praecordiorum, torpor in brachio sinistro; nonnunquam vero cor tanto obruitur sanguine, ut momentanee cordis functio supprimatur,

quo in casu symptomata congestionis versus caput insurgunt; vertigo scilicet, hallucinationes visus, oculorum rubor, aurium tinnitus, membrorum tremor, animi deliquia, somnus a somniis terrificis interruptus, calor fugax faciei, immo favente aegri constitutione ipsa apoplexia. Pulsus est crebrior, magnus, plenus, fortis, hinc inde transitorie irregularis aut intermittens. Fulcrum porro addunt individui temperamentum sanguineum, magno virium muscularium robore donati; in sexu virili tempus pubertatis, in femineo autem vel evolutio organorum sexualium, vel aetas climaterica; phaenomenorum denique cessatio post adhibitam convenienter phlebotomiam.

Palpitationis cordis nervosae symptomata

Si plurimum medici interest palpitationes nervosas simplices ab illis, quae organicis cardiopathiis, sunt cardiopletharae communia sunt, sedulo distinguere, tamen monentibus praeclaris auctoribus Andral et Bouillaud cardiopalmus in laesa innervatione eadem symptomata localia et generalia exhibet, qualia in adfectionibus organicis praesto sunt, dum alia ex parte palpitationes ab initio mere nervosae, deinde posthuma organica secum ferunt.

Quapropter de hoc argumento plures inveniuntur difficultates, quin etiam symptomata negativa et indirecta magis quam positiva a medicis proponuntur.

non neglectis simul phaenomenis, quae organa a corde remota, aegri constitutio atque temperamentum exhibent. Nunc igitur ad hujusmodi deveniamus symptomata.

Magnam suspicionem ab initio inducunt habitus subscrophulosus, fibra delicatula, irritabilis, cutis albicans, helminthiasis, hysteriasis, aut hypochondriasis signa, nimirum quaedam constrictio circa infimum oesophagi extremum, propter quam aegre et difficulter cibi in ventriculum descendunt, atque sensu praefocationis thoracicae cum pulsu transitorie irregulari, aut etiam intermittenti, urinis spasticis, molesta vasorum pulsatione, facie modo accensa, modo cerea, aliisque symptomatibus nevrosium propriis.

Attamen his quoque relictis, certum est quod pleximetriae atque stetoscopiae, inspectionis internae, tactusque ope, cordis limites, ut ita dicam, *geometrice* unicuique metiri conceditur, atque determinare quomodo functio valvularum exerceatur; an orificia lata vel restricta, an cor ipsum hypertrophicum aut dilatatum haberi debeat. Nunc in palpitationibus cardiacis ex laesione organica ne hilum prodeuntibus, facile admodum est, speciatim eo momento, quo cor tanta non pulsat vehementia, explorationis auxilio, omnia illa signa positiva ac negativa colligere, quae ad diagnosticum judicium perducunt.

Revera sub percussione resonantia haberi debet valde circumscripta; sub pressione ingens non evolvitur

in regione praecordiorum resistentia. Tubi Laennechiani ope nullus plerumque strepitus limae, serae, nullus pariter affrictus percipitur; et si quaestio est de insufflatione, quae nunquam speciatim dum sanguis nimia laborat tenuitate, uti in subjectis chloroticis nunquam desideratur, hoc phaenomenon transitorie adparet, aut saltem eo usque perdurat, donec congrua medela, atque martis usu, sanguinis conditio mutetur, eodemque tempore cordis irritabilitas excedens reprimatur, uti persaepe in chloroticis videre est. Uteumque vero hoc ultimum symptoma constanter fere haberetur, enne illi tantummodo innixus, prudens medicus ad diagnosim alicujus stenosis, unius vel alterius cordis orificii deveniet? Nonne ex Bouilland atque Andral observationibus, omnes isti suadent, quot quantisque diversis laesionibus insufflatio pertineat? Quapropter praesentibus signis supra expositis, etiamsi aliqua insufflatio adpareat, praesertim simul cum symptomatibus simplicis chloroseos decurrentibus, nihilosecius judicium infirmare non valebit, praesertim quum symptomatibus sequentia negativa accedant.

Desunt igitur dolores pungitivi, lancinantes in praecordiis, desunt frequentia aut anxietas spirandi, tussis sicca, torpor et myrmechismus in brachio sinistro, facies non livet, venae jugulares sanguinis non exhibent regurgitum, hydropes nunquam evolvuntur: pulsus est summopere variabilis, mox frequens, mox lentus, mox irregularis; cardiopalmus denique post corporis quie-

tem omnino silet, et aeger de nulla plane conqueritur molestia. Ex his patet diagnosim cordis palpitationum ex laesa irritabilitate emanantium magnis premi difficultatibus, quas nonnisi recta atque longe repetita aegri observatio auferre valent

Aetiologia

Quum de cordis palpitationibus sub duplici respectu consideratis, nimirum quatenus ex cardioplethora, aut ex laesa cordis innervatione oriuntur, sermone habuerim; ita aetiologica momenta nunc considerando, oportet de illis tantummodo disserere, quae aut plethoram, aut nervosas perturbationes inducere valent

Et in primis ad memoriam revocetur, causas proximas et disponentes in stimulis quantitate et qualitate peccantibus, idiopathicis, aut sympathicis quaerendas esse.

Praedisponuntur ideirco cardioplethorae subjecta sanguineo donata temperamento, aetas juvenilis aut virilis, corpus magis in longitudinem, quam in latitudinem evolutum, sexus masculinus, tempestas hiemalis aut aestiva.

Inter causas remotas habentur suppressiones fluxus alicujus sanguinei, puta haemorrhoidum, epistaseos etc.; diaeta nimis lauta praesertim animalis, abusus vini potuumque alcoholicorum, motus corporis excedens, vel e contra vita deses atque otiosa; com-

pressa quoque a tuberculis, vomicis, hydatidibus, empyemate, hydrothorace, pulmonum vasa. aut quocumque modo obstructa; angustus et depressus thorax; spinae dorsi distorsio aut incurvatio; sanguis nimia densitate peccans aut copia excedens; morborum quorumdam, ex. gr scabiei, herpetis, podagrae, ulcerum antiquorum repercussio Quacumque igitur ratione ex his fiat, ut sanguis in corde restet congeraturque, sive quod a pulmonibus difficile admittatur, sive quod copiosior in cavitatem cordis irruat, necesse prafecto est, ut cordis irritabilitas ad vehementiorem contractionem excitet ipsum, eoque majorem, quo irritabitiores erant cordis fibrae, nec non ad motum paratiores

Quoad cordis palpitationes ex simplici irritabilitate laesa derivantes, plura enumerantur momenta praedisponentia atque remota Ex repetitis observationibus evictum fuit, temperamentum nervosum excitabile sicuti morbis nervosis, ita etiam cordis palpitationibus favere; porro habitum corporis gracilem, fibram laxam, aetatem pubertatis, aut in feminis climatericam Inter occasionales recensentur animi pathemata, ira, gaudium, terror, interdum tristitia, melanchonia, atque nostalgia, studia laboriosa nimisque protracta, abusus veneris, et pessimum manustuprationis vitium Cordis irritabilitatem pariter excitant nonnullae sanguinis ipsius conditiones ad ejus quantitatem aut qualitatem referendae Hoc fit in subjectis anaemia laborantibus, desuper ob haemorrhagias, aut largas atque repetitas ve-

nae sectiones; desuper ob diaeteticum nimis restrictum regimen: sub quibus causis, monente clarissimo Andral, sanguinis insufficienti quantitate, ut debile repleatur cor, necessario organi actio adaugeatur oportet. Nunc vero ad perturbatam sanguinis qualitatem deveniendo, silentio praeterire nequimus cordis palpitationes in chloroticis obvenientes. De hujus symptomatis origine variae habentur opiniones, prout chlorosis tanquam morbus laesae sanguificationis, aut veluti cordis vasorumque inflammatio, vel potius tanquam cardio-anaemia consideratur. Certum autem est, quod in chlorosi simplici palpitationem non nisi ut laesae innervationis symptoma esse habendam, probabiliter ex qualitate sanguinis mutata, sicuti plurium medicorum opinio est. Enumerantur quoque inter causas hysteria, hypochondriasis, epilepsis, spasmus diaphragmatis, in primis ejus appendicum aut processuum, inter quos aorta descendit, atque ab his convulsis stringi potest; tandem ipsa helminthiasis.

Prognosis

Perspecta causarum natura, decursu, gradu atque indole, cardiopalmi judicium prognosticum plures exhibet differentias. Si igitur a causa leviore, quae discuti facile potest, aut per se facile desinit, puta transitorio animi pathemate, statu plethorico, errore diaetetico, helminthiasi, aliisque parvi momenti causis, palpitatio cordis ingeneretur, hunc breve post tempus ad sanationem pervenit: dum autem causis procathar-

ticis supra expositis aliae accedunt laterales diutius agentes, v gr. melancholia, nostalgia, epilepsia, hysteria, hypochondriasis, tunc non solum difficulter sanatur, sed affectio illa ab initio mere dynamica pedetentim laesiones organicas secum trahit, sive ex eo quod juxta Andral sententiam per nimiam et diutinam cordis activitatem processus nutritionis acceleretur, unde hypertrophia insurgit; sive ad aliorum mentem ex lenta atque subdola carditide, quae eidem conditioni morbosae favere solet. Nil mirum idcirco si desuper cardiopalmum alia cardiopathiae organicae pathognomonica superaccedant symptomata, et prognosis tunc reservata pronunciari debeat

Palpitationes ab hyperaemia productae illico cessant sublata causa; nervosae autem palpitationes continuae sunt, saepius autem decursum irregularem praeseferunt, sicuti et in plerisque morbis nervosis observatur In subjectis plethoricis etc, in aetate juvenili, saepe narium haemorrhagiam aut hemoptoem cardiopalmus antecedit, immo per hanc sanatur Neque admodum timenda est si a convulsis adfectionibus, aut ab alterata sanguinis qualitate dependeat, dummodo opportunis ei occurratur auxiliis. Majus negotium facessit illa quam metastasis, aut consuetae evacuationis suppressio, aut haemorrhagia intulerit

Attamen palpitatio ingens cum convulsionibus clonicis aut tonicis decurrens mortem haud raro ex syncope fert

Curatio

Ex omnibus considerationibus supra expositis neminem latet quemadmodum palpitationes cum pluribus et quidem inter se oppositis conditionibus, modo idiopathicis modo sympathicis ad cor atque vasa arteriosa referendis cohaereant. Eapropter ut suipsius famae consulat, oportet medicum sedulo veram morbi originem determinare, ut deinde rectae indicationes therapeuticae ab illo statuantur. Diligens haec determinatio magni haberi debet pretii; etenim therapeutics auxilia ad palpitationes cordis ex hyperaemia ingeneratas breviter fugandas longe diversa sunt ab illis, quae contra simplicem innervationis laesionem adhibentur.

Si idcirco cardiopalmus in subjectis plethoricis juvenilibus, bono habitu corporis donatis, vino aut diaetae nimis lautae indulgentibus evolvatur, et una simul aliqua phaenomena consensualis hyperaemiae cerebrali aut pulmonali referenda praesto sint, ex gr. vertigines, visus hallucinationes, capitis pondus, aurium susurrus cum pulsu pleno, tardo, atque pressioni resistenti, respiratione quidquam difficili atque anxia; illico venae sectio amplo vulnere instituatur, ex quo sanguinis per praecordia circuitu liberiori facto, congestiones illae secundariae, et quandoque laethales inter breve temporis spatium averruncentur. Et si post unam phlebotomiam citum levamen haud obtinetur

perstantibus, utcumque minori in gradu enarratis symptomatibus, tum quin venae sectione ne hilum medicus abutetur, denuo venam secabit. Caeterum in ea palpitatione, quam suppressae ferunt evacuationes praesertim haemorrhagicae v. gr. epistaxeos, haemorrhoidum, catameniorum, melius conducunt evacuationes sanguinis locales, per hyrudines aut cucurbitulas praestitas. Hae ex causa mox ad anum admoveantur, si ex haemorrhoidibus cohibitis, mox ad pudenda si ex catamenis suppressis cardiopalmus exoriatur.

Quo fit ut in seligenda methodo evacuanti non solum plura momenta suam symbolam conferre valeant, sed multum interest, ut strium pro sanguinis missione celebranda juxta varia circumstantia modificetur.

Uno fere omnium ore ad palpitationem curandam illud commendari solet auxilium, etiam ex eo quod sensibilitate nimis aut nimia irritabilitate mitigatis infaustae praepediuntur sequelae carditidis aut endopericarditidis subdole quandoque decurrentia; etenim non desunt exempla, ubi ex neglecta venae sectione, hypertrophia aut dilatatio cordis insanabilis sequebatur cum maximo vitae aegri periculo.

Attamen si venae sectio praecipuum sistit adminiculum in palpitatione hyperaemica curanda, tamen et pharmaca nonnulla pro re nata exhibita in eumdem feront scopum. Hinc commendantur ab omnibus remedia, quae ad nonnullorum mentem secretiones atque excretiones sollicitare valent: etenim ex illis sanguinis

plasticitas imminuitur; juxta alios autem medicos nimia vasorum incitatio ab iisdem refraenatur. Quaecumque vero ex his hypothesibus magis arrideat, certum est, quod Digitalis purpurea vel sub pulveris forma exhibita, vel sub forma infusionis; Squilla marina, Lactucarium, aqua cohobata L. cerasi, Hyoscyamus, Aconitum Napellum, Sales medii, dosi refracta exhibiti, Nitras Lixivae; decocta Graminis, Ononidis, aliaque plura laudes sibi promeruerunt

Si palpitatio a suppresso aliquo fluxu, ex. gr. haemorrhoidibus sul estamentis, promanet, tum praeter hyrudines optime conducunt Aloes, Rhoeum, Aquae Soteriae ferruginosae aut sulphureae, Sabina, Crocus, tandem illa omnia, quae suppressum fluxum restituere valent

In illis autem palpitationibus, quas in subjectis delicatulis ex dinturno morbo reconvalescentibus gracilique constitutione donatis videre est, desuper usum repetitae phlebotomiae aut animi pathematum deprimentium, ubi nec ulla signa plethorae adsunt, in subjectis ubi hydropis metus est, aut haemorrhagicis evacuationibus vasa conciderunt, therapia simpliciter antiphlogistica noxia evadit

Princeps tunc indicatio est illa, ut sensibilitas nimia aut nimia irritabilitas mitigetur. In illis igitur casibus, ubi cardiopalmus ex statu anaemico aut a praevalenti seri copia in sanguine ingeneratur, remedia illa, quae nimirum sanguinis cohaesionem adaugent, apprime indicantur, ex quibus saepe saepius nervorum exaltatio

secundaria ratione compescitur. Ad haec pertinent ferrum illiusque praeparata, aut aquae ipsae ferratae, balnea frigida, Cortex Peruvianus, aut alia remedia amaricantia, exercitatio corporis sub aëre libero atque campestri: victus facile digerendus mox vegetabilis, mox animalis; denique animi pathemata sedulo vitentur.

Interdum autem fit, ut cardiopalmus ex immediato cerebri influxu super cor promanet, quin sanguinis copia aut qualitas ne hilum perturbata inveniatur. Hoc in casu malum totius innervationis curandum est, nec non remedia illa adhibere oportet, quae electivam in systema nerveum exercent actionem: ita laudantur ab omnibus clinicis scriptoribus Hyoscyamus, Aconitum Napellum, Lactucarium: de opii administratione tantum id referam, quod a nemine, si aegrotur da subjecto ad congestiones praedisposito, tum nonnisi magno cum periculo exhiberetur. Inter pharmaca a neotericis valde laudata recensentur Radix Valerianae hujusque praeparata, scilicet Extractum, Valerianas Zinci, Ferri, aut Chininae, Chamomilla, Castoreum, aliaque plura, quae nervina a medicis antiquioris aevi nuncupari solent. Quoad illorum selectum tantummodo dicam, magis prodesse modo unum, modo alterum juxta peculiaria momenta indicantia. Denique balnea mirum in modum ad sanationem palpitationum conferunt. Dum autem aliquod animi pathema formam morbosam sustinet, tunc monente Boherhaave, auxilia moralia omnem indicationis paginam absolvunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Palpitationes cordis mox ab hypersthenia, mox a vitiata sanguinis crasi dependent.

II.

Palpitatio cordis mere nervosa rarissima est in praxi.

III.

Ex diuturno cardiopalmo vitia organica, et praesertim cardio-hypertrophia contingere solent.

IV.

Animi et corporis quies sufficiunt persaepe ad palpitationes cordis averruncandas.

V.

Adest stricto sensu methodus medendi antagonistica.

VI.

Substantiae medicamentosae in organismum per atria diversa immissae diversos eduot effectus.

VII.

Morborum chronicorum therapia difficilior, quam acutorum.

VIII.

Tunica interna venarum ad membranas serosas refertur, dum e contra membrana interna arteriarum tale non meretur nomen.